



Decisiones Sacramentales, Theologicæ, Canonicae, & Legales

In Quibus Tota materia Sacramentorum, Theologiæ Moralis, Juris Canonici,
& Quæstiones plurimæ Juris Civilis explicantur, dilucidantur, & traduntur,
Eruditionibus, Historiis, & Exemplis adornatæ ; Opus Episcopis, Vicariis,
Parochis, Confessariis, aliisque Studiosis utile, ac jucundum In Libris
novem ...

Erotemata Ecclesiastica

Chiericato, Giovanni Maria

Augustæ Vindelicorum, 1730

Cap. LXV. De Odio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94604](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94604)

Bellum, num. 3. & ex Canonistis Gonzalez in cap. Sicut 29. de iurejurando; qui prædictas condiciones examinat, & exornat.

4. *Quer.* An subditi teneantur se informare de iustitia belli, ut militent pro Principe? *Resp.* Negative, sed satis est illis, si non constet de iniustitia belli; quamvis etiam dubitarent de illa. *S. Aug. lib. 22. contra Faustum cap. 75. & Maltr. d. disp. 10. num. 107.*

5. *Quer.* An sint aliqua observanda à Principibus etiam in bello iusto? *Resp.* Duo esse servanda. *Unum*, ut antequam iustum bellum moveatur, Princeps petat à suo Adversario, quod sibi debetur; si enim paratus sit, iustam satisfactionem ei dare, à bello est abstinendum. *Alterum*, ut innocentes directe non occidantur, quales sunt pueri, mulieres, Religiosi, hospites, & peregrini; dicitur directe, quia, ut plurimum, indirecte & hi offenduntur, cum ita sint immixti cum militibus, ut ab eis separari non possint in incendio Urbium, & eversione arcium, & murorum. *Maltrius d. disp. 10. num. 108.* Hinc Bellum sævam rem, & cumulum injuriarum appellavit Plutarchus in *Vita Camilli*, ut refert idem Gonzalez in cap. *Pisanis 19. de Restit. Spol. num. 4.* & ibi *S. Augustinus* miseras belli collacrymans, quem utinam non cogamur imitari.

6. *Quer.* An in bello liceat uti insidiis? *Resp.* Cum distinctione; Vel insidiæ continent mendacia, vel violationem fidei datæ, vel promissionis factæ hostibus? & hæc non licent; quia sunt intrinsece malæ: vel continent industrias ad decipiendos hostes? & sunt licitæ; quia non tenetur Princeps patefacere suis hostibus consilia, & resolutiones, quas sumit ad eos debellandos. *DD.* quos allegat *Maltrius dict. disp. 10. num. 110.* ubi notat, dicta per Judith ad Holofernem non in omnibus ab Ecclesia approbari: etsi pro ejusdem mulieris zelo, & religiositate recitentur, & laudentur.

7. *Quer.* An peccatum sit, pugnare in die festo? *Resp.* Negative; sicut enim in diebus festis licet ea facere, quæ concernunt sanitatem hominis privati: ita ea, quæ attineant ad salutem totius Reipublicæ. *Cap. Si nulla 23. q. 8.*

8. *Quer.* An sit licitum omnibus, pugnare in bello iusto? *Resp.* Affirmative, exceptis Ecclesiasticis, quibus de jure positivo id eis interdicitur. *Cap. Hortatu, 23. q. 8.* nisi in casu summæ necessitatis pro defensione Patriæ: vel pro eorum vita tuenda. *Maltrius dict. disp. 10. num. 111. & Gonzalez in cap. Petitio tua, 24. de Homicid. qui num. 4. ex Historiis, & Conciliis demonstrat, quid Clerici agere possint, si sequantur exercitus.*

9. *Quer.* An Clerici pugnantes in bello, & occidentes Hostes, incurrant irregularitatem? *Resp.* Affirmative, secundum Navar. in sum. cap. 27. num. 213. Negative secundum alios, quando pugnant pro necessaria defensione vitæ, vel Reipublicæ. *Le-*

Doct. Clericali Tom. II. Lib. VII.

zana in Sum. d. tom. 3. Verb. Bellum, num. 14. Maltrius ibid. num. 111.

10. *Quer.* An liceat Principi Christiano bellum iustum gerenti assumere in auxilium sibi milites Hæreticos, seu Infideles? *Resp.* Affirmative; si ita disciplinam militarem custodire faciat, ut ex dictorum militum consortio nullum infectionis periculum fideles subeant. *Maltrius d. num. 111.*

11. *Quer.* An intervientes in Bello iniusto, vel spiritualiter ministrando Sacramenta, vel corporaliter prabendo obsonia, incurrant irregularitatem? *Resp.* Negative, si abstineant à mutilationibus, & occisionibus. *Summ. Dian. Verb. Bellum, num. 4.*

12. *Quer.* An bona capta in Bello iniusto, si aliis vendantur, possint ab emptoribus iuste retineri? *Resp.* Negative, & sunt veris dominis restituenda; præcipue si hi sint Ecclesiastici. *Sum. Dian. d. Verb. Bellum, num. 4. ubi DD.*

CAPUT LXV,

De Odio.

1. *Quer.* Quid sit Odium? *Resp.* Odium esse nomen Verbale, institutum ad significandam noxionem alicujus rei; proprie enim, qui alium odit, vellet, illum non esse, juxta illud *Horat. lib. 1. Epist. 19. Oderunt hilarem iristes, iristemque jocosum*; id est, adinvicem volentes, ut non essent. *Eminentiss. Card. de Lauræa in 3. Sent. tom. 4. disp. 14. n. 1.* Ideo Odium est malevolentia, qua quis vult malum alteri absolute. *Azor, tom. 3. par. 3. lib. 2. cap. 20.*

2. *Quer.* Quotuplex sit Odium? *Resp.* Esse duplex. Unum abominationis, cum nolumus aliquid tanquam nobis contrarium. Alterum inimicitiae, cupientes aliquid non esse tanquam nobis invisum. *Eminentiss. Card. de Lauræa ibid. num. 4. & num. 42.* ubi advertit, Odium aliud esse internum, id est, retentum in corde; aliud externum esse, quod deducitur ad offensionem rei, quæ odio habetur.

3. *Quer.* Quale peccatum sit Odium proximi? *Resp.* Esse mortale, contra præceptum charitatis; quo jubemur, proximum etiam inimicum diligere; & per consequens prohibemur illum Odio habere; juxta illud *Levit. 19. 17. Ne oderis Fratrem tuum in corde.* Et *Psalm. 33. Qui oderunt iustum, delinquent.* Et *1. Joan. 3. 35. Qui odit Fratrem suum, homicidæ est.*

4. *Quer.* An detur Odium in proximum, quod non sit peccatum? *Resp.* Affirmative, quando quis non odit personam, sed iniquitatem, quæ est in ipsa persona, juxta illud *Psalm. 100. Facientes pravavicationes odi.* *Eminentiss. Card. de Lauræa d. disp. 14. num. 49.*

5. *Quer.* An Odium sit peccatum non solum mortale, sed etiam capitale? *Resp.* Affirmative, quia ab eo tanquam à capite pullulant alia peccata: nam Odium suscitatur; *Prov. 10. 12. Et Odium impulit Cain*

100 Erotem. Eccles. Cap. LXVI. De Sexto Præcepto.

Cain in fratricidium; & Fratres Joseph in ejus venditionem.

6. *Quer. Quæ.* & quot sint peccata, quæ proveniunt ex odio? *Resp.* Cum quis odit aliquem ob injuriam acceptam, provenit ira. Vel ob ejus eximias qualitates, & nascitur invidia; & hæc duo peccata sunt præcipuæ soboles Odii. Azor. d. par. 3. lib. 2. cap. 20.

7. *Quer.* An Odium in proximum sit semper peccatum mortale? *Resp.* Quod non; siquidem, licet ex natura sua sit mortale, quia opponitur præcepto charitatis, tamen potest esse veniale vel ex imperfectione deliberationis, vel ex levitate mali, quod desideratur ei, quem quis odit. Azor. *ibid.* qu. 1.

8. *Quer.* An aliquando liceat, velle malum temporale proximo suo? *Resp.* Affirmativè, scilicet ob bonum ejus spirituale; puta si diviti, & robusto peccanti cupias morbum, ac paupertatem; ut convertatur ad Deum. S. Thom. 2. 2. qu. 36. art. 2. Imò etiam mors potest ei desiderari, si sit profectura ad salutem animæ. Sotus lib. 1. de Just. quest. 12. artic. 7. Eminentiss. Card. de Lauræa in 3. Sent. tom. 4. disp. 11. num. 134.

9. *Quer.* An naturalis antipathia, quam aliquis sentit contra alium, sit culpa mortalis? *Resp.* Negativè, quando voluntas non desiderat ei malum: nam à naturæ conditione, & temperamento oriuntur inclinationes quædam circa aliquos, & aversiones circa alios ob similitatem, vel contrarietatem temperamentorum; & istæ aversiones non sunt imputabiles ad malum; quia non sunt actus liberi: sicuti neque concupiscentia; quæ, licet inclinet ad peccatum, & sit ex radice peccati, tamen ipsa peccatum non est, ex Trid. sess. 5. de Peccato Orig. c. 5. Quando verò ad eam aversionem naturalem accedit actus voluntatis, quæ sibi in ea complacet; & vult aliquod malum ei, circa quem avertitur, tunc est peccatum vel mortale, vel veniale juxta gravitatem, vel levitatem mali voliti. Ita Eminentiss. Cardin. de Lauræa d. tom. 4. in 3. Sentent. disp. 14. num. 58.

10. *Quer.* Inter peccata Odii erga proximum, quodnam sit majus peccatum? *Resp.* Odium erga parentes; nam major poena imposita est pro odio Patris, & Matris, quam pro odio aliorum, ut legitur in Levit. 20. 9. Qui maledixerit Patri, vel Matri, morte moriatur. Ita Eminentiss. Cardin. de Lauræa d. tom. 4. disp. 10. num. 83.

11. *Quer.* Quæ sint signa ad cognoscendum, quod quis Odio habeat proximum suum? *Resp.* Signa esse, cum incipit de suo proximo detrahere, calumnias inventare, actiones vilipendere, vias ei nocendi querere, & cum displicentia ejus laudes, aut prosperitates sentire. Eminentiss. Cardin. de Lauræa d. tom. 4. in 3. Sentent. disp. 14. num. 66. & 70.

12. *Quer.* Quæ poena sint puniendi fideles, qui ab odio inter se retrahi non pos-

sunt? *Resp.* Sunt excommunicandi, donec reconcilientur. Concil. Arclaten. 2. cap. 31. Eminentiss. Card. de Lauræa in Epitome Canonum, verb. Odium. Et non absque ratione; nam Odium est malum ita grave, ut ejus causa aliqui apostataverint à fide; ut fecit Sapritius Presbyter, qui cum odio haberet Nicephorum, & captus esset à Tyrannis tanquam Christianus, dum duceretur ad Martyrium, negare potius fidem voluit, quam se reconciliare cum Nicephoro. Eminentiss. Card. Baron. Ann. 260. num. 32.

13. *Quer.* Quos Auctores legere oporteat ad prædicandum contra peccatum Odii? *Resp.* Esse legendos S. Franciscum Salecium in Philothea. par. 3. cap. 8. Rodriguez in Exercit. Pers. par. 1. tr. 4. cap. 13. & 14. Segnerium in Christiano Instructo par. 1. Sermon. 22. & Franciscum Stadiera Injanni della Via Spirituale tract. 13. cap. 16. ubi monet, cavendum esse ab odio; nam invadit etiam viros spirituales.

14. *Quer.* Cum quis in confessione se accusat de peccato Odii, quas circumstantias debeat etiam explicare? *Resp.* Debet explicare qualitatem mali voliti, quia, si fuerit de occidendo, vel de bonis surripendis, vel detractionibus infamandi, sunt peccata contra diversa præcepta, & hæ circumstantiæ mutant speciem; prout etiam, si proximus odio habitus fuisset Patris, vel Superior, aut Benefactor, ut docui de Pœnitentia Decis. 27. n. 8. ad quam studiosus recurrat.

CAPUT LXVI.

De Sexto Præcepto.

1. *Quer.* Quid sit Luxuria? *Resp.* Est inordinatus appetitus sensus venerci, qui fit cum commotione spirituum generationi servientium, circa partes corporis venereas. Mastrius in Theol. Moral. disp. 11. num. 117.

2. *Quer.* Quotuplex sit Luxuria? *Resp.* Duplex; alia perfecta, quando ordinatur ad habendos actus Venereos; & alia imperfecta, quando ultimus finis non est executio rei Venereæ, sed se continet in morosa delectatione sensitiva, seu sensitivorum. Tamburin. lib. 7 in Dialog. in princ.

3. *Quer.* Quot sunt species Luxuriæ perfectæ? *Resp.* Novem sunt species Luxuriæ perfectæ, quarum sex dicuntur secundum naturam, & aliz tres dicuntur contra naturam. Tambur. in Methodo Expens. Confess. lib. 2. cap. 7.

4. *Quer.* Quæ sint hæ novem Luxuriæ species? *Resp.* Quod sunt sequentes, videlicet, Fornicatio, Stuprum, Raptus, Adulterium, Incestus, & Sacrilegium. Et hæc dicuntur secundum naturam. Porro aliz tres contra naturam sunt: Mollities, seu Pollutio, Sodomia, & Bestialitas. Mastrius d. num. 117.

5. *Quer.* Quid sit Fornicatio? *Resp.* Est